

Q. F. F. Q. V. S S T. S. L. 4 14
DISSERTATIO PHILOSOPHICA

De
AFFECTIBUS IN
GENERE:

Quam

Divinâ disponente Providentiâ

Ex præscripto constitutionum Academicarum, nec non
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ suffragio,

IN REGIA AC ILLUSTRIS ACADEMIA ABOENSI

SUB PRÆSIDIO

VIRI Præclarissimi

DN. M. MARTINI MILTOPÆI,

Eloq. Prof. Publ. celeberr. Præceptoris, Promoto-
ris atq; Fautoris sui plurimum honorandis

Pro Gradu, & Privilegijs Studiorum Philosophicorum legitimè obti-
nendâ, loco Examinis publici, humaniori differentium dis-
quisitionis sistit

GEORGIUS GEORGII PAXZ3/
Arctopoli Finl.

In Auditorio superiori & Maximo, ad diem 6. Non. Maij,
Anno Θεανθρωπογονίας M DC LXVIII. horis ab 8. antemerid.

A B O Æ,

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

Admodum Reverendo atq; Eminentissimo in Christo Patri ac
DOMINO,

DN. JOHANNI GEZELIO S. S. Th.
Doctōri Excellentissimo, Amplissimæ Diœcesios
Aboënsis Episcopo Celeberrimo, Regiæ Aca-
demix Auricæ Pro - Cancellario permagnifico,
nec non Ven: Conf: Eccl: Antistiti laudatissimo,
Mecœnati ac Patrono suo humilimâ animi vene-
ratione æratem suspiciendo:

Simul ac Plurimum Reverendis atq; Praclarissimis VIRIS
CONSISTORII ECCL. DNN. ADSESSO-
RIBUS Gravissimis, Promotoribus atq; Fautoribus officio
osâ mentis observantiâ jugitèr prosequendis:

N E C N O N

Reverendis, Eruditione, ac vitæ integritate conspicuis VIRIS;
DN. GUDMUNDO J. ROTHOVIO, Templi
Cathedralis Aboënsis Oeconomus, ac Consist.
Eccl. Notario accuratissimo, Affini ac hospiti suo
debitis grati animi studiis officiosè colendo;

DN. GEORGIO N. Prys, verbi Divini Præconi
in Eccl. Biörneburg. & Blisbyhensî vigilantissimo,
Patri charissimo, obsequiosâ reverentiâ perpetim
honorando:

*Disputationem hanc solemnem, debitum reverentiæ ac grati-
tudinis affectum declaraturus, ulterioremq; sui promotio-
nem ac favorem conciliaturus,*

Submissè

Reverentèr

atq;

Perofficiosè D. D. D.

GEORG. Prys.

Ἐπιστολὴ.



Divina immensæ bonitatis sapientia, Ho-
mini (operum visibilium præstantissimo)
quem Plato *Σαῦμα Σαυμάτων* ac Mercurius *Τρι-
megistus*, miraculum magnum non min⁹ scitè
quam verè salutarunt, insigni præcellentes
nobilitate, facultates principes indidit duas; ne hisce splen-
didissima Divinitatis imago orbata, ignorantix nebulis ob-
scurata, & errorum caligine obruta infra bestiarum vide-
retur dejecta sortem. Harum una Intellectus, Voluntas
altera audit; ille primis auspiciis perfectissimâ rerum æter-
narum nec non caducarum pollebat notitiâ: hæc ad san-
ctissimum creatoris arbitrium & nutum se totum compo-
nebat ac accommodabat. Sed, proh dolor, ἀγνοίας veri
in illo, in hac appetitus ἀταξίας labes peccati à primo
parente contracti & in posteros derivati infelicissimè pro-
duxit, hæc; rerum facie asperrimâ concreata primitus ho-
mini vires vel in deterius mutata vel penitus prostrata ja-
cuissent, nisi ineffabilis supremi Numinis subvenisset be-
nignitas, quæ amissæ felicioris conditionis reliquias, in igno-
rantix tenebris gliscentes, in hujus morbi remedium resi-
duas esse voluisset. Has ipsas Divinæ similitudinis scintil-
lulas, Platoni *ζώπυρα* æternitatis, & Philosophiæ nunquam
satis celebrata semina ii, quibus de meliori luto finxit præcor-
dia Titan, crebris excitanda exercitiis, inq; pleniorē atq;
perfectiorem deducenda actum, faciliè animadvertunt; ideoq;
ad sacratiora Philosophiæ adyta toto impetu properare
adnituntur, inæstimabili ejusdem utilitate, jucunditate,
ac necessitate commoti, quippe quæ inscitix fuliginem ab
Intellectu discutiendo, & Voluntatem actione honestâ im-
buendo, suos egregiè exornat alumnos. Illud Theore-
tica hoc Practica Philosophia præstat. Generalis autem
practi-

A

practi-

Practicæ Philosophiæ partis necessitatem nullo non tempore
cruditus agnovit orbis, nullius quippe honestæ societa-
tis tuta absq; illâ erit felicitas, vitæ siquidem normam
subministrando, agenda atq; omittenda salutaritèr mon-
strando, moresq; hominum dirigendo, suæ satis superq;
præfert insignia præstantiæ. Hac sublata vitiorum copio-
sior quam Gargaris segetum sese ingeret cumulus, liberri-
moq; sordidioris vitæ libidines vagabuntur passu, vinculo
pene Vulcanio magis infucata vitia innocentissimum virtu-
tum invadent chorum: perditissimi insuper mores sibi o-
ptimorum coronam morum poscere non erubescunt. His
inquam chronicis malis & Camarinâ nocentioribus palu-
de nobilissimum Ethica antidoton præparat. Hæc affe-
ctus intra honestatis cancellos coërcet, & quod vitiosum ac
exuberans est, castigat. Hujus igitur Materiæ eximiâ utilita-
te & dignitate allectus, Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
mandato obsequens, Divino subveniēte auxilio *διὰ δὲ κερψιν*
de Affectibus, publico examini committere non dubitavi: ob-
testatus Candidi Lectoris æquanimittatem, ut illa quæ studio
honesti, & animo proficiendi in melius, subitâ curâ scripse-
ram, benignè accipiat & in meliorem partem interpretetur.

Aspiret facilis celso de culmine cæli

Aura meis studiis, Castalidumq; favor.

THESES I.

Doctrinam non minus utilitate eximiam, quam jucun-
ditate insignem, *καθολογίαν*, viâ non incommodâ
aggressurus, operæ pretium me facturam non ambigo, si
in limine, affectuum quâ intra Philosophiæ limites consi-
derandi veniunt, conceptus, evolvam. Hos in circo Phi-
losophico triplices præcipuè offendimus. I. *Scientificum* &
in terminis quidditativis, quo Naturalis scientia eorum tra-
ctationem suis includit cancellis, in eorum principia, Essen-
tiales

etiales proprietates, nec non naturales effectus inquirendo.
2. *Practicum* quo moralis eos persequitur Philosophia prout
motus cordis in se indeterminati, ac intra *μεσότητι* termin-
es coërcendi, & ad virtutis normam dirigendi sunt. 3.
Oratorium, quo artis dicendi periti eos nuncient, nunc se-
dant, prout argumenti ratio admittit vel requirit. Et li-
cet affectus diversimode à diversis definiantur, mihi non
inconcinna videtur hæc sequens descriptio:

II. *Affectus est passio animæ sensitivæ à cognitione objecti exci-
tata, quâ illud aut prosequitur aut fugit.* Vel illa clariss. Ven-
delin. Appen. II. c. 36. Affectus est commotio facultatis
appetentis ex boni aut mali existimatione orta, ad perse-
quendum vel fugiendum aliquid.

III. Affectus dicuntur ab afficiendo: variè namq; ipsum
Subjectum afficiunt atq; alterant, peculiare ipsi commo-
tiones inferendo. Insigniuntur & aliis Nominibus, ut sunt
passiones, perpeffiones, motus animi, perturbationes, *πά-
θη καὶ ὄργανα.*

IV. Genus affectus est passio, non illa quæ classem re-
rum peculiarem continet, sed quæ tertiæ speciei qualitas est.

V. Subjectum affectuum est appetitus sensitivus, tam con-
cupiscibilis quam irascibilis, quorum illo animalia ad sibi
proficua sectanda, & noxia avertenda incitantur, hoc verò
objecti consequendi remoras atq; impedimenta summove-
re adiutantur. Primarium autem subjectum in quo sedem
habent est ipsum cor. Ut enim nimia animi attentio, quæ
cerebri opus est, insaniam adfert; ira affectus animi, vim
inferunt vitæ, quod non fieret, nisi commotiones istæ fon-
tem vitæ occuparent. Idipsum nihilo secius ex appetitus
motibus colligere licet, cum quibus mutatio cordis quam
maximè conjuncta est. Cor enim ad bonum objectum spi-
ritus extrorsum fundendo se dilatat; Contra verò ad malum

eosdem introrsum recipiendo se constringit. Appetitus etiam sensitivus causa efficiens affectus excitans statuitur, quæ nobis obiiciuntur prosequimur vel fugimus.

VI. Neutra autem facultatum animæ rationalis, ut Stoici existimant affectuum subjectum est constituendum. Affectus enim cum motione sanguinis, spirituum & alicujus partis corporeæ alteratione fiunt. Motus vero voluntatis vel mentis nullus cum mutatione corporis primò fit: Nam anima rationalis ut sine instrumento corporeo intelligit, ita absq; ejusdem passione appetit. Affectus etiam in bruta, ratione & voluntate destituta cadunt, ideoq; quod homini cum brutis commune est, frustra in animâ rationali residere statuitur. Huc facit & quod affectus sæpè nobis invitis insurgant, quod non possent si in voluntate sedem haberent.

VII. Objectum affectuum est vel *Bonum* vel *Malum* idq; cognitum, absq; notitiâ enim appetitus moveri nequit. Duos è diametro oppositos in nobis offendimus alterandi modos, unum quo objectum appetimus, alterum quo illud ipsum vitamus. Circa utrumq; affectus sunt occupati: Circa bonum quidem, nam una quæq; rerum inclinatur ad aliquod sibi conveniens. Ad malum autem non quâ tale, sed quâ fucatum boni præfert faciem, appetitus fertur. Præterea utrumq; tam *bonum* quam *malum* est vel *ἀληθινόν* vel *φαινόμενον*, nam voluptates non semper ex bono illo, sed quandoq; etiam ex hoc capiuntur, quoniam malum sub formâ boni nobis quandoq; offertur. Sic lætitia sæpè afficimur, non propter bonum verum sed etiam apparens, cum sæpe numero nobis bonum quod revera tam en non est, appareat.

VIII. Finis ob quem natura affectibus animum instruxit est vel *Remotus* vel *Proximus*. Ille, qua intra mediocritatis sese continet limites, salus & incolumitas animalis est, sacris id ipsum monstrantibus pandectis, ut Prov. 15: 13. Cor gaudens

dens faciem exhilarat: nec non Eccl. 30: 16. Non est oblectatio supra cordis gaudium. *Hic* est motus ad bonum, seu boni consecutio. Nam re aliquâ sub ratione grati & jucundi cognitâ excitatur affectus ad illam obtinendam, vicissim sub ratione mali ingrati & molesti oblatâ, ad illam fugiendam.

IX. Solent alias querere, utrum formalis ratio affectuum consistat in actione vel passione? In quâ inquirendâ triplex hic concurrens motus accuratè notandus est. *α. Facultatis cognoscentis* quæ ab objecto movetur, affectumq; antecedit, & de ejus Essentiâ non est. *β. Facultatis appetentis* quæ à judicio movetur, & affectus essentiam ingreditur, ac pro diversâ consideratione rationem induit actionis vel passionis; respectu namq; objecti cogniti actio, facultatis vero appetentis respectu primò est passio, paulo post verò actio. *γ. Totius animalis* à facultate appetente per media moti, qui motus plane est corporeus. His positis respondemus formalem affectus rationem in passione potius quam in actione consistere: nam accuratè loquendo, actualis propensio ad fugiendum aliquid vel prosequendum non absolvit rationem affectus: sed ipsa mutatio quæ ex hac inclinatione oritur in facultate appetente. Vid. Vendel. l. 1. App. 2. c. 36. q. 1.

X. Omnes affectus, ad morborum animi censum simpliciter esse referendos, atq; malos dicendos cum Stoicis non statuimus; cum physicè in se & per se bonitate sc. naturali boni sint, quippe à summo bono naturæ insiti. Attamen secundum quid Ethicè & Moralitèr spectati, non tam quâ Affectus, eatenus enim *ἀδιάφορον*, sed quâ à rectæ rationis deviant præscripto, aut minus rectè à judicio hominis compescuntur ac refrænantur, mali judicantur. Nam amare & odisse simpliciter peccata non sunt, sed amare & odisse id

quod non debes. Pari ratione timere, dolere, irasci, vitia non sunt, nisi injusto tempore, inconvenienti loco, ac in debito modo, timeas, doleas, irascaris &c.

XI. In quaestione illa multæ inter Philosophos Stoicos & Peripateticos contentio, *An in sapientem cadere affectus possint?* ab horum sumus partibus qui sapientes etiam affectibus obnoxios esse dicunt. In quam rem affabre B. August. lib. 9. de civit. Dei, hæc reliquit verba: Non quaerimus utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur? nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis? nec utrum timeat, sed quid timeat? Irasci enim peccanti ut corrigatur, contristari pro afflictio ut liberetur; Timere periclitanti ne pereat; nec scio utrum quisquam sanã consideratione reprehendat?

XII. Hanc sententiam confirmat sacra pagina, dum in sapientiã illã æternã ac Hypostaticã Christo Salvatore nostro affectus repertos fuisse testatur, utpote tristatum fuisse ob mortem Lazari Joh. 11. Lætatum de successu Evangelii, Luc. 10. Misericordiã motum ob inedia[m] populi, Matth. 15. Affectus autem hic intelligimus nullam implicantes pravitate[m] vel imperfectionem, qui in nobis esse possunt & rationem antevertentes, voluntatem in consensum trahunt, quod de Christo cogitare impium est. Quin imò ipse Jehovah quosdam hominibus injungit affectus, utpote amorem boni & odium mali, lætitiã, tristitiã, misericordiã, &c. Imò in cordibus fidelium à spiritu Sancto excitantur, & propterea in sacris commendatur *Pinchas Num. 25.*

XIII. Illud etiam Stoicorum, *solum hominem* (cujus ratio & opinio sunt) *affectuum esse capace[m]*, bestias verò rationis & opinionis expertes de iis non participare contententium, non approbamus, cum ab aliis rectius utrumq[ue] asseratur. Sufficiencia enim causarum in operando effectum producit.

Bru.

Brutis ergo cum causæ non desint, animã enim gaudent sensitivã, & sic facultate appetitivã cum requisitis affectuum necessariis, utpote motione appetitus, imaginatione, temperamento &c. affectus competere non diffitemur. Experientia etiam suum addit calculum, non voluptatem solum & dolorem, perpetuos affectuum comites, sed etiam amorem, odium spem, & metum, brutis animantibus competere testata. V. g. Canis è longinquo leporem, accipiter avem videns, non persequitur, de capiendo dubitans; de propinquo autem aspiciens quasi spe adipiscendi ad sectandum festinat. Ex his igitur quæ visui animalis bruti obijciuntur, movetur ejus appetitus, vel ad persequendum vel vitandum, ideoq[ue] spem & desperationem iisdem denegare non possumus.

XIV. Affectus quoq[ue] ut plurimum, corporis sequi temperamentum, veritati videtur consonum: excessum namq[ue] & temperiem qualitatum & humorum sequi deprehenduntur, qui vicissim ab affectibus turbantur atq[ue] agitantur. Hinc ad lætitiã *sanguinei*, ad iram *biliosi*, ad tristitiã *Melancholici*, ad metum *phlegmatici* procliviores sunt. Hinc præterea diversos in distinctis & climatum intervallo disjunctis populis pro temperamentorum varietate offendimus affectus, utpote in Europæis ob caloris interni excessum *audaciam*; in Africanis ob defectum, *timiditatem*, in Asiaticis utriusq[ue] *moderationem*, ob caloris temperiem. Interim infallibile ex temperamento de affectibus indicium non est, siquidem *inclinantia temperamenta non necessitant*, (ut loquuntur) frequentiq[ue] assuetudine & exercitio, sub rationis imperio detineri affectus non detrectant. Duplicis igitur illa quæ temperamenta sequuntur dicimus esse conditionis; *alia immutabiliter & necessario*, ex illis oriuntur ut sapes odores, colores, & aliæ qualitates; *alia contingenter & mutabiliter*, ut perturbationes, quæ variè studio & assuetudine emendari & mutari possunt.

XV.

XV. Voluntas sicut impelli ac cogi nequit, ita etiam affectus eam cogere non possunt, nam si id per se possent, semper idipsum essent acturi. Experientiæ potius suffragium de affectuum obsequio rectæ rationi nonnunquam præstito testatur. Voluntas verò licet sæpè ab affectibus superata succumbat, nec dum coacta est, quippe liberè sine ulla eorundem coactione, statione suâ desertâ hosti cedit; alias affectuum impetu si delinqueret à culpâ immunis foret, quod quia praxi repugnat, falsum esse, nullus non videt.

XVI. Affectuum numerum constituenti, diversæ Philosophorum circa eundem occurrunt opiniones, quibus recensendis supersedeo. Vulgò affectus secundum duas appetitus sensitivi potentias, *concupiscentem & irascentem vel aversantem dividuntur*: Ad illam referuntur 6. *Amor, desiderium, lætitia, & eorum contraria, odium, fuga, tristitia.* Ad hanc 5. *spes, desperatio, audacia, timor vel metus, & ira.* Numeri hujus sufficientiam non operosè jam probatum eo, inductione illam collegere Authores, alios affectus ad hæc genera referentes. Horum Definitionibus immorari prolixum est, quas apud Philosophos, passim invenies.

COROLLARIUM.

Colophonis loco (specimini occasionis lege coarctato summam impositurus manum, hanc appono coronidem. *Musficam*, (suvissimam illam animorum moderatricem, pereximiam esse utilitatis atq; jucunditatis, vel hinc elucet, quod interiora animorum penetrando, ipsos etiam affectus commoveat: ad mærorem enim sedandum, mores mitigandos, animiq; motus leniendos atq; concitandos plurimum valet, nihilo etiam secius ad fallendos labores, animiq; curam ac tristitiam arcendam, defatigatamq; naturam recreandam. Hæc ab
ipsis

ipsis orbis incunabulis, per multa secula ad supremi Numinis gloriam celebrandam, Divinaq; opera ac beneficia decantanda est adhibita. Hujus, numerosæ varietatis Heroës ac viri pietate ac virtutibus celebres, amore ducti, magnum non exiguis sumptibus Musicorum aluere numerum. Quid! imò sanctissimæ mentes, Divinæ Majestatis nocturni diurniq; apparitores, Mûsicâ delectantur liberali, omnisq; illa (svavisono aures feriens modulamine harmonia, præsertim cum affectu piæ voluptatis conjuncta, ipsis accidit gratissima. Hæc ad nunquam finienda, continuanda erit secula, dum præconia summo rerum Moderatori, beatorum chorus decantare non desinet. Sed jam manum de Tabulâ.

Sit Nomen Domini benedictû, ex hoc, nunc, & usq; in seculû.

Præstantissimo Candidato

GEORGIO Vrhg/ pro gradu disputaturo,

Affectus moderari, prudentiæ civilis pars est haud postrema. Doctè Tu illorum naturam explicas ornatissime PRÆVIZI: Fecerimus igitur opera pretium, si prævia singularum circumstantiarum, consultatione debita, illos jam constringere, jam laxare, didicerimus ac meminerimus. Vale.

L. Mq; scripsi

PETRUS Bång D. & Prof.

Humanissimo JUVENI

DN. GEORGIO Vrhg/ Philosophiæ Candidato doctiss.

Patriæ & amico honorando, felices studiorum progressus merito gratulari volui:

Alciden memorant factis insignibus olim
Illustrem veteres Hellados historiæ.

Affectus rexisse suos sapienter, honesti

Legibus & justis; viribus Herculeis

Non erit inferius. Quos si correxeris, Hydram

Multiplici monstrum conficies capite.

Hinc amor, inde furor, dolor, indignatio, fassa

Gaudia, spes vanæ, tristitia, invidia,

Per-

Perturbant hominum mentes: Si fræna relaxes
Victus eris: ratio & sensibus obruitur.
Pugna frequens: ne sit nobis victoria rara
Proderit affectus noscere, corrigere.
Hæc tibi digna fuit, victrici fronde decore,
Discurtus PARRY, materies sophici.
Rectè agis: applausu probat hoc studiosa juvenus;
Et tibi nobiscum mitia fata vovet.
Symphonicis assvete choris, *rationis* & illam
Harmoniam *sensus* perficis atq; doces.
Sic tibi Castalias lauros, exulta coronam
Dat sophia in terris, inter & astra Deus.

Licet occupatus, animo tamen lubenti,

MARTINUS MILTOPÆUS E. P. P.

Affectum Phineus dum non compescuit, ipsum
Vexabant superùm jussu Stymphalia monstra,
Eternâ justè damnatum lumina nocte;
Ast cum deposuit rabiem, cum fercula lauta
Præbuit Aëtonidis, Zetes Calaisq; volucrum
Agmina & harpyias gladio occidere minaci.
Quæis ergo affectus nimium dominantur acerbis;
Illos tartarea sero clangore volucres
Infestant, placidi rapiuntq; levamina somni.
At tibi, mi Prytzi, non dira nocere Celano,
Ocyptegæ potest, lacerat nec pectus Aëlo,
Id monstrat studij specimen, tua docta Minerva:
Comprobat & Candor multa cum laude canendes.
Ergo tuis faveat cæli Clementia captis!
Longa, precor supplex, concedat flamina vita!

Ita Præstantiss: Dn. Candidato, affini & amico suo chariss:
simo, non intucata mente applaudit,

JOHANNES SALMENIUS. Phil. Cand.